

11. 7.



13  
14

DE  
IVSTIFICATIONE PER FIDEM

COMMENTATIO  
PHILOLOGICO - THEOLOGICA

AD AÐ. XIII, 38. 39.

QVAM,

P R A E S I D E

IOANNE FRIDERICO  
BAHRDTIO

S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ASSESSORE  
AD AEDEM D. PETRI CONCIONATORE

PRAECEPTORE ET FAVTORE SVMMA OBSERVANTIA COLENDO  
IN AVDITORIO THEOLOGORVM

DIE XVI. AVG. A. R. G. C1813CCLV.

DEFENDET

A V C T O R

GOTTLOB MICHAEL FETTER

RAVSCH. LVS. SVP.  
SACRARVM LITTERARVM CVLTOR.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

14

DE  
 INVESTIGATIONE PER EIDEM  
 COMMENTARII  
 THEOLOGICO - THEOLOGICA  
 AD AN. 1783  
 A. A. A. A.  
 P. R. A. E. S. I. D. E.  
 IOHANNES FRIEDERICH  
 B. A. H. R. H. T. I. O.  
 IN A. D. I. S. S. E. R. T. I. O. N. E.  
 D. I. E. M. A. G. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I.  
 A. V. G. O. S. T. A. T. I. O. N. I.  
 GOTTLOB MICHAEL PETER  
 P. R. A. E. S. I. D. E.  
 P. R. A. E. S. I. D. E.



V I R I S  
MAGNIFICIS. EXCELLENTISSIMIS  
CONSULTISSIMIS. PRAENOBILISSIMIS  
AMPLISSIMIS. DOCTISSIMIS

C O N S V L I B V S  
P R A E T O R I  
S Y N D I C O

RELIQVISQVE  
S E N A T O R I B V S  
V R B I S . G O R L I C I I  
C L A R I S S I M I S  
S V M M I S . S T V D I O R V M . S V O R V M P R O M O T O R I B V S

A C  
P A T R O N I S  
H O C . P I E T A T I S . E T . O B S E R V A N T I A E . D O C V M E N T V M  
S V B M I S S I S S I M E . O F F E R T  
G O T T L O B . M I C H A E L . F E T T E R

VIRIS  
MAGNITUDINE EXCELLENTISSIMIS  
CONSTITUTIONIS TRACTABILISSIMIS  
AMPLISSIMIS DOCTRINIS

CONSULIBVS

PRAETORI

SYNDICO

REPUBLICAE

SENIORIBVS

VIRIS GOTTFRID

CLARISSIMIS

SYNDICIS STUDIORVM SVORVM PROMOTORIBVS

AV

PATRONIS

HOE. TRITATI. ET. CONSILII. DOCUMENTVM

AVTHENTICVM. GOTTFR

GOTTLOB. MICHAEL. PETER

V I R I  
MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI,  
CONSULTISSIMI, PRAENOBILISSIMI,  
AMPLISSIMI, DOCTISSIMI

PATRONI, SVMMA OBSERVANTIA  
C O L E N D I

**T**anta sunt *VIRI MAGNIFICI,*  
*VESTRA* in me collata beneficia, vt  
qua ratione *VOBIS* grati animi offi-  
cium aliqua saltem ex parte exsoluere debeam,  
plane ignorare mihi videar. Quoties enim *EA*  
cogito, toties etiam reperio, ita *EA* esse com-  
parata, vt praestantiam *EORVM*, non dicam ex-  
\* 3 aequare

aequare dicendo, sed assequi cogitando arduum sit  
atque difficile. *Vnius tantum fauoris VESTRI*  
*documenti ut mentionem facere liceat, mihi, ex quo*  
*discendi caussa in celeberrima, quae Lipsiae floret,*  
*Musarum sede commorandam fuit, singulari ducti*  
*munificentia, studiis sanctioribus, iisque, qui his*  
*operam suam consecrarunt, qua opitulari soletis,*  
*amplissima litterarum decreuistis subsidia. VE-*  
*STRA, PATRONI submississime colendi, sic ad-*  
*uitus prolixa animi propensione, rationes studiorum*  
*et ingredi, et felici cum successu prosequi, fuit lici-*  
*tum. Quantum itaque est, VOBIS quod in acce-*  
*ptis me ferre laetabundus animaduerto. Semper*  
*propterea in eo fuerunt defixae cogitationes, aliqua*  
*VOBIS ut declarem ratione, me grato animo VE-*  
*STRA, at qualia, quantaque! accepisse, etiam*  
*nunc accipere beneficia. Ipsa autem eius, quod in*  
*animo erat perficiendi, defuit mihi semper facultas.*  
*Plenus igitur obseruantiae TANTIS debitae*  
*PATRONIS, subtimens tamen tanti mihi sumo,*  
ut



ut **MAGNIFICIS VESTRIS NOMINI-**  
**BVS** has qualescunque studiorum Academicorum  
primitias inscribere, insimulque publicum obstrictissi-  
mae mentis documentum exhibere audeam. Summa  
a **VOBIS** contendo submissione, in malam ne acci-  
piatis partem, qua usus sum, obsequium, **VOBIS**  
declarandi rationem, qua simul pro beneficiis pu-  
blicis publicas, non quas quidem debeam, sed quas  
possim, agere **VOBIS** gratias elaboro. **Votis**  
**DEO** nuncupatis si quid assequi potest, castissimis  
opto, ut summum Numen, cuius nutu res nostrae  
geruntur, **VOS, VIRI MAGNIFICI**, iu-  
cundissimis semper prosperae fortunae accessionibus  
locupletatos conseruet, ut **VOBIS** saluis, salua quo-  
que stet vigeatque ciuitatis, cui moderandae prae-  
estis, salus. Splendidissimas **VESTRAS FA-**  
**MILIAS** tantis exornet **DEVS** clementiae suae  
documentis, ut **VOBIS** gaudendi, aliis vero  
**VOS** qui colunt, admirandi praebeant occasionem.


Quod

*Quod reliquum est, VOS PATRONI sub-*  
*mississime colendi, rogo quam possum obseruantissime,*  
*vt me, quem adhuc VESTRO PATROCINIO*  
*adiuuare fuit visum, et in posterum VESTRO fa-*  
*uore dignum censere velitis. Ego vero in summa*  
*felicitatis meae parte ponendum esse arbitror, mihi*  
*si dabitur veniam, vt, quoad viuam permanere*  
*liceat,*

TANTORVM VESTRORVM  
NOMINVM

Lipsiae  
die XVII. Cal. Septembr.  
A. R. S. CIOICCLV.

OBSEQUIOSISSIMVS OBSERVANTISSIMVSQVE CVLTOR  
GOTTLOB MICHAEL FETTER.



I. N. D. N. I. C.



§. I.

Beneficia nobis, quotquot verae religioni studiosi deditque sumus, laetandi se se offert occasio, diuina ita factum esse providentia, ut in ea nostram aetatem incidere ipsi placuerit tempora, quibus pacis religiosae bisecularis iucundam in mentem reuocamus memoriam. Quanta enim sunt D. O. M. beneficia, quae ab isto inde temporis spatio in nos collocare haud dedignatus fuit, ex quo B. Lutherus sacrorum, quae densissimis errorum tenebris vndique obscurata erant, susciperet emendationem, susceptamque Deo adiutore in omnium stuporem perficeret, eosque ad mirandam providentiae summi Numinis, omnia sapienter disponentis magnitudinem excitaret. Omni sua natura virtute destituti videbantur praestantissimi fidei doctrinaeque salutaris articuli. Miserrima erat Ecclesiae facies, in qua propemodum nihil de fundamento salutis, Christo eiusque merito et satisfactione docebatur. Non satis deploranda erat Ecclesiae conditio, cuius ex doctrinis, Scripturae Sacrae testimonio destitutis, prona stuebat consequentia, Christo vnico N. F. mediatori, alios apud Deum intercessores esse adiungendos. Non poterat non tristissimus esse coetus sacri status, cuius membra, funestissimo decepta errore, non in Christo solo, sed in viribus propriis, salutis vitaeque futuri seculi consequendae spem ponendam esse, sibi persuasum habebant. Longe infelicissimi itaque erant homines, qui sempiternae felicitatis suae consecutionem non per Christum comparandam esse credebant, sed, quam gratiae  
A  
Dei

Dei debent salutem, eam propter Bonorum Operum praestantiam, non eorum quae veram saluificamque fidem tanquam fructus sequi solent, sed propter ea, quae in praedudicato aliquo consistunt merito, dari existimabant. Quanta gaudent tempora nostra praestantia, si cum iis ea comparemus, quibus altum erat de Iustificatione per fidem silentium, quam nobis diuino beneficio restitutam videmus. Tanta erat pristinorum temporum miseria, tanta superstitionis prauissimae videbatur tyrannis, vt veritatis coelestis in pristinum splendorem restituendae, omnem prope sublatam esse rationem ac viam, ad vnum omnes consentirent. Nemo Sedis Romanae Praefulibus, qui durissimum in conscientias exercebant imperium, aliqua saltem ex parte contradicere, nisi certissimo capitis se exponens periculo, audebat. Votis tantum modo res, praesertim nostra in Germania agebatur omnis, et maximo cum desiderio tota respublica Christiana, sacrorum Ecclesiaeque in Capite non minus, quam membris emendationem expectabat. Documento sunt tot optimorum virorum scripta, partim proxime post B. Lutheri reformationem iuris publici facta, partim Eccles. Nostrae Libri Symbolici, eorumque qui ad eos illustrandos suam adhibuerunt operam. Quaecunque vero hominibus erant *αδυνάτα* visa, Deo fuere facillima. Cum enim de veritate prope modum actum videretur, quod ex monumentis istorum temporum historicis luculenter constare scimus, ipse Deus ex machina quasi his malis optimam prospiciebat medicinam. Quamuis autem in vniuersum nobis laetandum sit, omnia, quae ad verum pertinent Dei cultum, integra et ab omni errorum labe repurgata habere, inprimis tamen decentissimae Deo agendae sunt gratiae pro iustificationis doctrinae, ministerio Lutheri praestita restitutione, quam ad nostram vsque aetatem ab antiqui erroris maculis incontaminatam nobis clementer conseruauit. Eo maius nostrum hanc ob rem debet esse gaudium, quo clarius inter omnes constat, hunc fidei articulum iure suo *βασεως καυ εδραιωματος της αληθειας* nomen sibi vindicare. Iam nunc in eo mea non occupatur opera, vt, quae ad praecipua huius dogmatis referenda sunt *εγκωμια*, hic recensenda putarem, cum instituti mei ratio, libellique conscribendi breuitas aliud suadeant. Abundat Ecclesia Nostra eruditissimorum Theologorum scriptis, quae principale hoc fidei christianae caput ita illustrant, vt nihil plane ea in re obscuritatis relictum sit. Iuuabit loca quaedam ex Libr. Eccles. Nost. Symbol. in medium proferre, ex quibus eorum, quae supra diximus appareat euidentia, iisque quosdam praestantissimorum Theologorum libros huc maxime facientes, addere non inutile erit. Ex Lib. Symbol. legi merentur quae habet Apologia A. C. A. IX. p. 225. A. VIII. p. 218. Art. Smal. P. III.

A. I. p. 318. Aug. Conf. A. XX. p. 16. Abul. A. V. p. 28. Apol. A. C. A. II. p. 60. Totus in hac doctrina illustranda fuit B. LUTHERVS vid. Art. Smal. P. III. A. XIII. p. 335. Sol. Decl. Art. III. p. 683. coll. Tom. III. Ienens. p. 159. eiusque laudabiliter secutus est vestigia NICOL. SELNECCERVS in Collectaneis, quibus Doctrinae Christ. capita a Papistis corrupta, defenduntur. HENRICVS HOEFFNERVS in Tractatu de Iustificatione Homini. PHIL. JACOB SPENER Evangelische Glaubens-Gerechtigkei. Joh. Ernst Schubert's Vernunft und Schriftmäßige Gedanken von der Rechtfertigung.

## §. II.

In tanta Script. Sacr. vtriusque foederis oraculorum copia, quae Ecclesiae Lutherano-Euangelicae sententiam de Iustificatione hominis per fidem, firmissimo niti fundamento, extra omnem ponunt dubitationem, in primis collocari meretur diui Pauli effatum, quod in Actis Apostolicis Cap. XIII, 38. 39. existare scimus, cuius in fonte ita fluunt verba:

Γνωσον οτι εγω υμων ανδρες αδελφοι, οτι δια τετρα υμων αφεσις αμαρτιων καταγγελεται.

Και απο παντων ων εν ηδυνηθητε εν τω νομω μουσικω δικαιοθηναι, εν τετω πας ο πισευων δικαιεται.

Versio ex Seb. Castellionis Interpretatione

*Quamobrem hoc vobis notum esto, viri fratres, vobis per hunc peccatorum veniam nuntiari; et ab omnibus, a quibus per Moysi legem solui nequiuistis per hunc, quicumque credat, solui.*

Quod quidem sacrum oraculum, cum sit fundamenti loco nostrae qualicumque commentationi praescriptum, iam vberius paulo enodandum erit. Accuratus vero illud consideranti mihi, duo in primis in eo, quae tractat veritatis coelestis praeco, obuenerunt, quorum primum est: *Datam esse nobis per Christum, quem annuntiabat, peccatorum omnium veniam, alterum autem: Itaque nobis id per eum praestari, quod tota lex Moisaica non potuit praestare, i. e. Nos per fidem habere iustificationem coram Deo valentem.* His praefatis, ad ipsam praescripti oraculi expositionem animum adiungimus.

DE IVSTIFICATIONE PER FIDEM.

SECTIO PRIMA  
HERMENEVTICA.

§. III.

Γνωσον εν εσω υμων ανδρες αδελφοι. *Quam ob rem notum vobis esto, viri fratres.* Postquam Apostolus de dignissima Θεανθρωπιε persona quae dixisse habuerat, in medium proferre, eiusque diuinitatem ex V. T. oraculis c. 33. et 35., inprimis per resurrectionem ex mortuis c. 37., confirmare allaborauerat, nunc versu 38. rationem subducit, ex qua lucide apparet, quem ob finem haec omnia praefatus sit. Excitat his verbis concionem populi, vt eo attentiores ipsi praeberent aures, quo grauiori digna essent consideratione ea, quae de firmo illo et vnico σωτηριας ημων σωτηριω Christo, dicenda adhuc erant. Quapropter noua quadam allocutione, voce γνωσον vitur, qua quidem haud raro in sacris literis ad ea excitari solet attentio, quae iam aut *nota* habemus et *explorata*, aut quorum *cognitio* nobis adhuc comparanda est. Posteriolem huius loci esse notionem exinde constat, quod Apostolus de re auditoribus suis nondum satis cognita disputet, praetereaue vsus loquendi per multa suppedidet loca, quibus huius vocis talis est significatio, qualis hic reperitur. Sic enim Act. IV, 10. 2 Tim. III, 1. occurrit. Praecipue eam virget particula εν, quae connexionem antecedentium cum consequentibus innuere arctissimam, et simul transitioni inseruire censenda est. conf. Ioa. IX, 18. 1 Cor. XII, 23. Subiungit vero Apostolus huic excitationi compellationem suauissimam, amorisque qui Christi amicos decet plenam, idque per verba ανδρες αδελφοι efficit, cuius nominationis varias fuisse arbitror causas. Primum, vt *consuetudini* laudandae Iudaeorum, quae ipsis in confabulatione cum aliis, a Patriarcharum inde aeuo propria et vsitata erat, satisfaceret, eamque, cum Iudaeis maximam partem loquens, imitaretur. Moris hoc fuisse populo Israelitico atque solitum, docent loca Genes. XIX, 7. XXIX, 4. Iudith VII, 22. Deinde vero alia videtur causa, vt eo luculentius demonstraret, *qualis* eorum esse debeat *conditio*, quibus tanti momenti doctrina quam propositurus erat, explicanda esset. Intelligit autem omnes eos Apostolus, quos c. 26. alia allocutus erat ratione, Iudaeos inprimis της υιες γενεσ αβρααμ, maxime autem omnes της φοβαμενης τον θεον. Hi enim isto demum, ex schola Iudaica in Christi ciuitatem traducto cognomine praeclaro dignissimi sunt censendi, in qua nullius generis ac gentis habetur ratio, modo doctrinae fidei saluificae assensum praebeant, eamque, vita ad Christi legem com-

composita, comprobent atque ornent. I Ioan. III, 14. 23. Varias quas habet verbum *αδελφς* in sacris litteris notiones, collectas vide in SCHOETTGENII Lexic. in N. T. p. 11. Quae quidem Fideles *fratres* nominandi consuetudo, non modo teste IUSTINO MARTYRE Apol. ad Anton. Pium, in antiqua obtinuit Ecclesia, quemadmodum ex ipsa Scriptura sacra intelligere est, vbi etiam *sorum* nomen additum legimus I Cor. V, 11. IX, 5. Sunt et nostro tempore permulti, his qui gloriantur nominibus. Eadem vero num id fiat mente, affirmare nollem. Quam fuerit vero laudandus hic mos, vel exinde apparet, quod iucundam praebet occasionem, vineulum amoris, quod omnes inter veri nominis Christianos confictum esse debet, in dies magis magisque connectendi, eamque in mentem reuocandi puram animi propensionem et charitatem, quae primis Christi confessoribus tanto semper fuit honori atque ornamento. Suauissima itaque haec Paulus cum vsus sit allocutione, simul vniuersae concioni, quanti singula eius faciat membra, luculenter declarat, eorumque animos, verba vitae audiendi cupiditate inflammatos, ad recipiendam maximi, quam propositurus erat, momenti doctrinam praeparare, quam studiosissime elaborat.

## §. IV.

Ὅτι δια τῆς υμῶν ἀφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται. *Vobis per hunc peccatorum veniam annuntiari.* Primam veritatum coelestium, quas in hoc oraculo asserit Apostolus, vt §. II. obseruatum est, haec continent verba, nimirum: *remissionem peccatorum, per Iesum, quem annuntiabat, eiusque meriti consequimur fide plenam apprehensionem.* Arctissime cohaerent cum antea dictis haec verba, idque et orationis postulat connexio, et particula *ὅτι* desiderat, quae, quemadmodum in aliis locis, sic et in nostro dicto, inferuit declarationi, et Latino idiomate per voces *scilicet, nempe, quod*, reddenda est. Eadem occurrit significatione Luc. XVI, 15. Ioa. III, 21. et quae multa huius sunt generis. Addit statim Paulus *auctorem huius*, de qua agit remissionis, eumque tanquam *causam efficientem* indicat, vt diserte vocatur: Hebr. V, 9. Efficit hoc per verba *δια τῆς*, quae proxime referenda sunt ad comm. praec., inprimis autem ad v. 23., in quo *n. i. c.* fecerat mentionem, eumque quoad familiam ac gentem, ex qua secundum carnem oriundus erat, descripserat, aequae ac eius mortem, et quae eam praecesserat, passionem, reuocationemque in vitam commemorauerat, veram tandem eius diuinitatem ex Psal. II, 7. demonstrauerat. Per hunc datur peccatorum, nullo excepto, venia, per hunc, quem ipse Deus *τον ἀρχιγον της σωτηριας* Hebr. II, 10. esse decreuit, per hunc omnes

A 3

viri

virum Θεοπνευστίας dono instructi, hoc insigne nobis annuntiarunt beneficium. Act. X, 43. coll. Ies. LIII, 5. Nominat deinde Paulus eos, quibus parva sit haec venia, voce ὑμῶν, qua omnes eos intelligit, quos antea c. 26. egregio cohonestauerat nomine. His nimirum primo loco consilium Dei de salute hominum aeterna declarandum fuerat, ut ex com. 46. patet. Dubitationem non possunt mouere verba Pauli, quae limitationem habere videntur, quando in primis ad eos facit verba, qui sunt οἱ φοβούμενοι τὸν Θεόν, neque exinde concludendum erit, Apostolo in mentem venisse, iis tantum peccatorum annuntiare remissionem, qui singulari Dei timore essent impleti, aut eximiae pietatis specie conspicui; sed ad omnes, quotquot aderant, pertinebant ea, quae dicenda erant omnia, eo quidem consilio, ut, qui iam aliqua rerum diuinarum scientia imbuti fuerant, magis magisque ad cognoscendum suum statum et ad salutem quaerendam excitaret, aliis vero, quibus adhuc haec necessaria cura res parui visa fuerat momenti, incitamenta et stimulos suppeditaret, ut eandem sibi notitiam salutarem compararent. Neque negligendum est hoc loco discrimen, quod esse nouimus inter *Acquisitionem* veniae peccatorum, ad omnes quae omnino pertinet homines, eiusdemque *salutarem Applicationem*, quae non nisi in eos cadere potest, quibus praescriptum a Deo sapientissime salutis ordinem ingredi placet. His omnibus ἡ ἀφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται. Nihil habet difficultatis demonstrare ut possimus, verbum ἀφεσεως, quod adhibet Paulus, semper aut plurimum in N. T. eam habere vim, ut addita voce ἁμαρτιῶν vel παραπτωμάτων, non nudam qualemcunque remissionem, sed plenam omnis culpa ac poenae simul deletionem et sublationem significet, id, quod et abundantia locorum, quibus ita occurrit, docet, ex quibus v. c. Matth. XXVI, 28. Marc. I, 4. Luc. I, 77. Col. I, 14. huc spectant, et οἱ οὐ ἐμνηστει Ies. LV, 7. verba כִּי-יִרְבֶּה לְסֹסֶרֶת per verbum ita expresserunt οτι ἐπι πολυ ἀφῆσει τας ἁμαρτίας ὑμῶν. Confirmat hanc interpretationem, in nostro quoque dicto, coniunctio vocis ἁμαρτιῶν, qua Apostolus omne peccatorum genus intelligit, eorumque pronuntiat remissionem. Veniunt hoc nomine peccata nobis connata s. *malum Originis* Rom. VII, 17. ἡ σκῆψα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία coll. Iac. I, 15., non minus, quam facinora manifesta s. *Actualia Peccata* 1 Tim. V, 24. αἱ ἁμαρτίαι προδηλοῦσι 1 Ioan. V, 16. ἁμαρτία πρὸς θάνατον. Eandem haec vox habet potestatem, quam Gal. VI, 1. Ephes. I, 7. verbi παραπτωματος esse scimus. Ex his manifestum erit, quanta sit in his paucis apostoli verbis copia, quantum sit commodum, quod in verbo diuino, et praesertim hoc eius oraculo, nobis καταγγέλλεται. De qua quidem vocula pauca addenda erunt.



erunt. Descendit ea a verbo ἀγγελλω adiuncta particula κατά, omneque genus *annuntiationis* exprimit, maximeque de *euangelii praedicatione* in sacris adhiberi solet, ut in ipso h. Cap. c. 5. *κατηγγελλον τον λογον της θεου*, cui responderet ex asse in c. 26. *υμιν ο λογος της σωτηριως ταυτης απεσαλη*. coll. Act. XV, 36. et I Cor. IX, 14. de iis expresse usurpatur, qui *καταγγελλουσι το ευαγγελιον*. Ex quo efficitur, vim docendi, idoneisque argumentis persuadendi, huic verbo inesse. Sensus itaque verborum, quae explicare allaborauimus, hic erit: annuntiari per Christum omnibus remissionem peccatorum liberationemque ab omni eorum culpa ac poenae reatu.

## §. V.

*Και απο παντων ων εκ ηδυνηθητε εν τω νομο μουσως δικαιοθηται.*  
*Et ab omnibus a quibus per Moysen legem solui nequiuistis.* Pergit Apostolus in commemorandis praestantissimis donis, quae toto mediationis D. N. I. c. opere parata sunt, alteramque addit veritatum, quas eum hic tractare §. II. diximus: *Dari nempe id nobis per Christum, quod tota lex Moysaica nullo modo praestare et in nos conferre poterat commodum.* Hoc erat iustitia coram Deo valens, quam lex, quae in se quidem perfecta erat, sed *ησθενει δια της σαρκος* Rom. VIII, 3. non efficere poterat in iis, qui eam nulla explere poterant ratione, quae autem nobis nunc per Christum parata est omnibus. Liberos omnes eos a legis condemnatione pronuntiat, qui vera Christum amplectuntur fide, eiusque sibi meritum in ordine salutis proprium faciunt. Indiuulso nexu verba, *και απο παντων*, cohaerent cum antea expositis, idque orationis continuae, quam hic vides, ratio non minus, quam *τε και* natura desiderat, quae conjunctionum duarum plurimae propositio indicat. In variis, quas alias in profanis aequae ac sacris N. T. scriptoribus obtinet, notionibus iam nunc indicandis, non immerandum putauimus, cum res tam nota sit, ut nulla plane eius demonstrandae opus sit industria vid. GLASSIUM in Philol. Ser. L. III. Tr. VII. Can. III. p. 589. Id tamen a re non puto esse alienum, si existimem, hoc loco huic *και* eundem conuenire significatum, quem Latini particulae *etiam* tribuunt. Vna cum hac significatione *copulatiua* eius *vis* consistit, cum Ioan. XV, 20. duplici vice vocula *και* hanc pati interpretationem videatur, quae et huius loci optimum facit sensum, hunc in modum exponendum: *Consecuti estis per Christum non modo omnium peccatorum remissionem; Etiam ac praesertim eorum nobis datur venia, quam legis implendae impossibilitas vobis denegabat.* Multa duobus verbis *απο παντων* complectitur Apostolus. Intelligit scilicet libertatem immunitatemque ab omni maledictione

dictione Legis Mosaicae, quo nomine et *Moralem*, cuius compendium est Decalogus, et *Ceremonialem* atque *Forensam* accipimus. Haec sunt, quae lex non dabat, praeclara dona, per Christi parta satisfactionem et nulla nostra, quanta cunq̄te virtute comparanda. Quam ob rem Paulus addit verba: *ων εν ηδυνηθητε δικαιοθηναι*, quae luculenter demonstrant, in virtute nostra, quam quidam insignibus extollere soliti sunt laudibus, ad perfecte explenda ea legis decreta, nihil esse praesidii, ne in iis quidem, quae leuioris momenti esse putantur. Notanda est propter verborum constructionem ellipsis part. *απο*, quae proximis legitur verbis, de cuius vario vsu videndus GLASSIUS l. c. L. III. T. VII. p. 570. Verbum autem *δυναμαι*, quod hic legitur, et deriuata ab eo vox *δυναμις*, quemadmodum prius necessaria virtute ad rem perficiendam, me instructum esse, posterior vero hanc ipsam facultatem indicat, sic de 1. c. Math. XXVI, 61. vsurpatur; ita quoque, si cum negatiua particula *εν* vel *ε* coniungitur, non potest non plenarium defectum earum significare virium, quae ad praestationem rei alicuius, pro eo ac decet, requiruntur. Ioan. XV, 4. Facile perspiciebant hanc, legis placita perfecte obseruandi, iisque satis per omnia faciendi, *αδυναμιαν* Iudaei, quibus vtraque lex praecipue data erat, probe perfectam habebant obligationem, qua legibus et morum et constitutionibus rituum obstricti tenebantur, exhorrescebant minas et maledictiones neglectioni legum additas sine dubio obeundas, et tamen, leges violatas si considerabant, nulla sibi data esse animaduertentur remedia, quibus culpam contractam e medio tollere, legisque desideria explere poterant. Sanctissima lex, quam *Moralem* vocamus, ob auctoris summam perfectionem omnibus numeris absoluta, peccatorum quidem veram indicat naturam, turpitudinem eorum summam, vltimamque cum violatione coniunctam perniciem declarat. Deut. XXVII. 26. coll. Gal. III. 10. nullam autem, nisi perfecta eius praestatione, salutis comparandae demonstrare poterat rationem Rom. IIX, 3. Eandem praeceptorum, quae circa ritus versantur, fuisse nouimus conditionem, quippe quae *σκια των μελλοντων αγαθων* exhibebant, in se spectata omni iustificandi virtute destituta, ad Christum omnium figurarum *σωμα* vnice tendebant, quo respectu sublato, non nisi *χειρογραφον* publicaue peccatorum Col. II, 14. confessio erat. Haec erat miseranda Iudaeorum fors, quibus praecipue haec legis incumbere moles. Describit eam Paulus, eiusque simul medelam proponit, annuntiando iis *iustificationem* ab his omnibus a quibus non poterant *εν τω νομω μωσως δικαιοθηναι*. Iam supra quae voce *νομος* veniunt, hocque loco intelligenda sunt, explicauimus. Ampliore itaque et copiosiore expositione facile supersedere possumus, quae- que

que aliis locis obueniunt notiones, eas omnes collegit SCHOETTGENIVS l. c. p. 390.

## §. VI.

Εν τῷ πᾶσι ο πιστευων δικαιεται. *Per hunc quicumque credat* (solui) *iustificari*. Annuntiata auditoribus plena culpae et poenae, de qua dixerat, remissione, nunc transgressionem facit Apostolus ad id, quod, ut fundamentum est totius religionis, sic et principale caput dicendorum in hac tractatione esse volumus. Agit nimirum, ad vberius explicandam ἀφεσιν αμαρτιων, de Iustificatione per fidem quae efficitur. Declarauerat quanta sit nostra corruptio, quanta αδυναμια: iam nunc, qua ratione ea possit e medio tolli, exponit. Nostram nullam esse *iustitiam* clarum fecit, nunc qui fiat, ut *iustificemur*, docet. Nullum plane est dubium, quin verba: εν τῷ, eundem notent *mediatorem*, quem voces δια τῆς innuunt. Constat particulae εν apud pure Graecos aequae ac Hebraizantes, varias esse significationes, quas hic commemorare omnes, nihil attinet. Sufficiat monuisse, cum ∟ Hebraicum exprimat, ipsi Latinorum *Per* aut *Propter* respondere. Vtrumque enim, quod exemplis probari potest, exprimit, ut Matth. IX, 34. Act. IV, 9. Rom. V, 9. Gal. III, 12. vbi significatio *Per* locum habet. Matth. VI, 7. Luc. X, 20. autem notio *Propter* reperitur, commodissimumque vtraque significatio dat sensum. Sic enim vel *Causam Efficientem*, adeoque ipsum simul Iustificationis medium declarat, vel *Causam mouens* Deum, ut nos iustos pronuntiet, indicatur. Subiectum Iustificationis eos quidem, qui credunt profert Apostolus verbis: πᾶσι ο πιστευων, vbi notandum erit, verbum πᾶσι, quod alias quoque magnam tantum copiam vt Matth. III, 5. Luc. XIX, 48. indicat, hoc quidem loco, vt plurimum, *Vniuersalitatis* habere notam. Constat hoc cum ex vsu loquendi in Sacris tam saepe obuiò, tum ex Iustificationis natura patet, quae omnibus, qui beati esse volunt, necessaria est. Additur simul voce πιστευων determinatio accuratior subiecti, quae simul iustificationis Causam, a parte nempe hominis extra dubium ponit. Est enim a verbo πισεω, quod fidem alicui, et in aliquem habere, atque in aliquo fiduciam ponere, significare tenendum est, vt tria haec conueniunt loco Marc. IX, 24. talem quidem fidem, quam vox πισις exprimit, quam modo iis rebus mortales habere solent, quae exploratae sunt atque indubitatae. Videtur hoc verbum nonnullis ortum esse a πεπεισθαι, quemadmodum et ipsum πεπεισμαι pro πισεωa ponitur, vt patet ex 2 Tim. I, 12. Vtuntur iisdem verbis LXX. Interp. quando

quando verba Hebraica כַּטָּח et הַאֲמִין Graece reddenda sunt: vt v. c. Psal. XXV, 2. כַּף כַּטָּח וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי, et Psal. CXVIII, 8. מִכַּטָּח בְּאָדָם וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי, porro Genes. XV, 6. וְהָאֲמִין בְּיָרְחָהּ וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי וְרִי עָלַי עָשִׂי שָׂרִי פִּינִי. Ex quo quidem mixto vsu horum verborum intelligitur, verbo huic Graeco πεισσω conuenire notionem quae latino vocabulo *Persuadeo* subiecta est, hoc enim idem est ac pro certo exploratoque scio. Eandem habet significationem vox *Persuasio*, quae a Graecis voce πεισως exprimi solet, quaque in sacra Scriptura *Fides* ab aliis rebus distinguitur. Hebr. XI, 1. Non opus est copiosorem, de vobum πεισσειν et πεισθησαι commutandi ratione, instituere sermonem. Hoc vnicum tamen silentio praeteriri non debet, *fidem* intelligendam esse *viuam*, de qua Paulus in nostro loco agit, per quam coram Deo iustificamur. Patet hoc ex contextu orationis Paullinae, verbumque πεισειν εις Χειρον et ονομα αυτου hoc sibi velle scimus, vt assensum liberum veritati diuinae praestitum, cum conuictione interna atque viua eius apprehensione coniunctum inuoluat, vt videre est Marc. I, 15. Ioa. I, 7. 12. Clarum ex his esse puto, qui sint ii, quos *Iustificationis* subiectum constituit Paulus, credentes scilicet *vera fide*, nulla habita externae conditionis ratione. Gal. V, 6.

## §. VII.

Tam ad illud, quod in tota hac expositione summum habet pondus, verbum venimus. Agendum enim nobis erit de voce δικαιοσυνη, vltimo quam ponit Apostolus loco. Constat inter omnes, doctrinam aliquam cuique esse faciliorem, verba in ea occurrentia probe si perspecta habeat, ipsique de genuina eorum terminorum notionem, qui in quolibet doctrinae capite sunt praecipui, satis constet. Neminem fugit, obiectiones aduersariorum contra hoc, quod tractamus, Theologiae dogma, maximam partem ex male intellectis vocibus δικαιοσιν δικαιοσθησαι, et quae ipsis responderet verbo Hebraico הצְרִיק esse ortas. In eo itaque paucis immorandum est, vt veram harum vocum peruestigemus notionem. Verbum Graecum δικαιος, a quo δικαιοσιν et δικαιοσθησαι ortum suum trahunt, ex foro ad sacra est translatum, suamque originem a δικη ducit, quae vox, optimorum scriptorum consensu, forenses habet notionem, atque iudiciis propriam. Cuius rei exempla, vna cum Interpretum opinionibus, collegit summe venerandus DEYLINGIUS Obs. Sacr. P. III. append. loco addita dissert. III. de voce δικαιοσιν. Eandem in sacra Scriptura obtinent haec verba significationem, quam in nouo Testam. reperimus, notumque est: talem eam ibi esse, qualis

lis in V. T. fuit. Nitiur autem ea verbo **הצדיק**, factaque eius per LXX. Interp. singulo loco versione. Sic Genes. XLIV, 16. **וְנִמְחַדְנָעֲשֶׂרֶךָ** *η τι δικαιωσωμεν* i. e. *qua re declarabimus nos esse iustos*, i. sine culpa. Exod. XXIII, 7. **וְלֹא אֶצְדִּיק וְלֹא אֶחַיֵּב** i. e. *non pronuntiabo impium culpae contractae expertem*. Deut. XXV, 1. **וְהַצְדִּיקוֹן אֶת-הַצְדִּיק וְהַרְשִׁיעַ אֶת-הַרְשָׁעִים** *και δικαιωσασιν τον δικαιον και καταγνωσιν τς ασεβες* i. e. *iustum suo iure dignum declarabunt, male facientem vero condemnationis reum censebunt*. conf. 2 Sam. XV, 4. Prou. XVIII, 10. Accedit porro, vsu venire in Lingua Hebraica, vt verborum nonnulla, quae in I. Coniug. Kaal qualitate aliqua praeditum esse signant; in Hiphil eandem qualitatem alteri alterius iudicio tribui significant, ex quorum numero est verbum **צַדַּק**, quod in Kaal iustum esse, in Hiphil vero alium iustum pronuntiare notat, eumque ab reatu absolueret. Sic enim occurrit Ies. LIII, 11. **יִצְדִּיקוּ אֶת-הַצְדִּיקִים** *iustitia affectos pronuntiabit*. Similis est vox **שָׁמַר** quae Psal. V, 11. legitur, vbi **יְשִׁירְךָ דִּמְיוֹנְךָ** *reos oportet*, notat. Idem hoc sibi volunt verba Pauli Rom. V, 19. **αμαρτωλοι κατασθεσαν οι πολλοι** per Hebraic. *peccatores facti sunt et declarati multi*, sic **δικαιοι κατασθεσοντο οι πολλοι**, iustitia donati pronuntiabuntur multi. Respondet haec loquendi formula sermonis Romani phrasi: *tribuere alicui virtutem*, qua non intelligunt re ipsa *virtutem dare*, sed iudicio suo alicui *virtutem addicere*. Similiter in lingua vernacula dicimus *einen tugendhaft und fromm machen*, item zum *Eugner machen*. Non aliter verbum Graecum **δικαιωσιν** est sumendum. Vti vero in praedictis verbum Latinum *tribuere*, et Germanicum *machen*, non nisi perquam inepte proprie possunt accipi; sic et vox *iustificari* non ita est sensu Romano-Catholico sumenda, vt *infusum* aliquem *habitum iustitiae* notet, *sensumque quendam physicum*, siue rectius *moralem* habeat. Tota scriptura sacra hoc ignorat, et nunquam, nisi loca, vbi haec vox legitur, misere torquere velis, talis elicienda erit notio. Re ipsa enim *iniustum*, qua talem, *iustum* facere, ipsis S. S. oraculis, vbi vox illa **δικαιωσιν** occurrit, non est consentaneum, et tantum orta est haec falsa Pontificiorum opinio, partim *ex inscitia* verborum Hebraic. et Graec. quae, vt decebat, peruestigare neglexerunt, partim ex male explicato vocis *iustificare* etymo. Manet itaque notio foro et iudicii propria, huic voci constantissima. Quaecumque autem ad stabilienda aduersariorum figmenta in medium proferri solent, ita sunt comparata, vt omni prorsus careant fundamento. Perpetuam vero, et S. Ser. vsitatissimam, hanc vocis esse notionem, satis superque apparet, a) *ex distinctione*, qua iustificatio a renouatione et sanctifica-

DE IVSTIFICATIONE PER FIDEM.

tionem 1 Cor. I, 30. Rom. VI, 7. 8. 22. β) Ex Interpretatione Scr., qua Iustificatio describitur per imputationem iustitiae Rom. IV, 6. 24. 25., per non imputationem et remissionem s. absolutionem ibid. v. 6-8. III, 25. 26., et in nostro textu per ἀφεσιν ἀμαρτιων. γ) Ex oppositione et coniunctione, qua diximus opponitur accusationi, Rom. VIII, 33. et damnationi c. 34. coll. Cap. V, 16. 18. Matth. XII, 37. coniungitur autem cum satisfactione et intercessione Christi Rom. VIII, 33. 34. δ) Ex toto iustificationis processu, qui tanquam actus iudicialis describitur. Ex quibus efficitur argumentis, hanc, in cuius expositione elaborauimus, vocem, non nisi forensalem habere significatum, hoc inprimis loco, quo Paulus ipse per το δικαιωθηναι, ἀφεσιν ἀμαρτιων interpretatur, adeoque iustificationem, non nisi a peccatis absolutionem esse pronuntiat.

SECTIO SECVNDA  
DOGMATICO - POLEMICA.

§. VIII.

Explicato itaque dicti praesentis sensu, iam nunc ad demonstrandam, quam ex eo duximus, thesios veritatem, contraque aduersa huic docentium iniurias eam vindicandam, animum intendimus. Perquam vero videtur esse commodum, duo potissimum constituere momenta, ad quae cuncta referri possint, quae de Iustificatione per fidem paucis a nobis dicenda erunt. Ea igitur instituti nostri esto ratio, ut N. quanam sit Ecclesiae nostrae de Iustificatione sententia, eamque pro vnice vera habendam esse, doceamus. I. Qualem eam esse pronuntient Pontificii, commoremur, erroneamque aduersariorum opinionem lubricis innixam esse fundamentis, adeoque aduersariorum opinionem lubricis innixam esse fundamentis, adeoque aduersariorum opinionem lubricis innixam esse fundamentis, demonstremus. In eo pro virium modulo elaborare fixum nobis constitutumque est, ut veritatem saluificae doctrinae, quam nostra Ecclesia thesauri instar ruetur, aperis, et nostri dicti verbis, et aliis Scr. Sac. locis defendamus, hisque B. B. Mai. Nostror. Confessionem in probanda thesi nostra adiungamus. Vbi vero cum hostibus nobis res erit, eorum docendi rationem, ex scriptis Publ. ipsorum proferemus, eamque ad sacram scripturam exigemus.

§. IX.

Ad primum igitur eorum, quae in animo sunt progredientibus, nonnulla monenda nobis occurrunt, quae tractationi nostrae aliquid lucis affundere

dere videntur. Constat inter omnes rerum theologicarum scientia instructos, hoc fidei dogma variis temporibus, varioque modo hostium sanctioris doctrinae malitia erroribus summis fuisse corruptum, quibus illud obsecrare et profanare ausi fuerunt. Dolendum omnino est, hodieque per plures esse, qui contra tam praestantem fidei articulum iniurios se se praebere nulli dubitant. Fontes quidem tot errorum facile deteget, quicumque solidam deprauatae hominum naturae sibi acquisiuit cognitionem. Is enim pro explorato habet, ita esse ingenium mortalium plerumque comparatum, ut in opere salutis, licet omnes naturae excedat vires, adeoque Deo soli conueniat, non huic omnia se debere putent, sed de suo se aliquid ad illud perficiendum conferre posse, falsae persuasionis errore sibi fingant. Quare non est mirandum, tam varia ab hominibus excogitata esse remedia, quibus Iustificationem, quam necessariam sibi esse intelligebant, compararent. Abesse ita non potuit, quin ii a vero aberrauerint omnes, quibus in tractanda necessaria hac doctrina, Scr. Sac. omnia quae excludit hominum opera, ducem sequi non fuit visum. Suo enim indulgentes ingenio, misere dogma de iustificatione vitiarunt. Errores autem omnes contra eam excogitatos, tribus praecipue generibus completi placet. Primum, idque antiquissimum, ad eos pertinet homines, qui Iustificationis fundamentum, quod *meritum Christi* esse nouimus, subuertentes, non potuerunt non in ipsa doctrina sententiam ferre a vero longe alienam. Hi qui fuerint, quique iam nunc sint, ex ipsa Scr. Sac. aeque ac H. E. patet monumentis. Alios deinde inuenimus, qui meritum quidem Christi non negant, *soli tamen gratiae diuinae propensione gratuita*, non cuncta tribuunt, *opera* hominum ipsi iungentes, eaque, non vero *gratiam Dei*, non *meritum Christi* vnica a parte Dei iustificationis causas, ad eam pertinere putantes. Hunc qui occupant locum, quis est qui nesciat *Pontificios* esse? in eorumque adeo doctrina alterum errorum inueniri genus. Denique ii nominandi sunt, qui, nescio qua vana, de verborum *sola Fide* sensu, opinione decepti, soli fidei locum, exclusis operibus, relinquentes, *veram* tamen et vitam non habent intelliguntque *fidem*, sed *ficta sua et mortua fide* semet ipsos turpiter in fraudem inducunt. Quorum in credendi ratione, tertium errorum genus huc pertinentium consistere putamus. His erroribus cuiuscunque sint speciei, Ecclesiae nostrae *systema doctrinarum* non esse contaminatum, sequentia probabunt.

## §. X.

Genuinam nunc Eccl. Nost. sententiam, quam de *Iustificazione per fidem* et habuit semper, et iam adhuc habet, exposituri, verborum hic occurrentium notiones, antequam ad rem ipsam accedamus, explicabimus. Potissimum vero extra omne dubium ponendum est, qualis in ea sit verborum *Fides, et per fidem iustificari*, sensus. Ad *fidei* itaque notitio- nem id satis esse monuisse crediderim, nos ea voce non ipsam *fidei doctrinam*, quae hoc nomine nonnunquam venit, intelligere, non *notitiam aliquam historicam*, de qua *Apol. A. C.* art. III. p. 71. rerum coelestium; sed ipsum hic animi *actum et habitum*, in censum venire, illum nimirum, quo homo *obiecto fidei*, i. e. Christo, eiusque doctrina rite cognito, diuinum veritatibus diuinis assensum praebet, Christumque cum merito suo adeo recipit, vt in eo omnem salutis consequendae spem et fiduciam collocet. Recte eam quoque dixeris *Fidem Euangelicam*, quae salutem dat, per quam coram Deo *iustificamur*. *Iustificari* autem, sensu *Lutherano-Euangelico* nihil est aliud, quam in iudicio diuino propter iustitiam Christi, quam, nobis ex mera gratia imputatam, accipimus fide plena, a peccatis omnibus eorumque culpa ac poena *absolui*, et propterea pro *iustis declarari*. In hoc consistit iustificatio, quam Paulus tribuit fidei, quando in nostro dicto dicitur, *en τρω πας ο πιστευων δικαιεται*. In hoc constat praestantissima praerogatiua, quam nostra sancta religio, ex quo sacra habemus emendata, prae Pontificia iure sibi gratulatur. Refertur autem hoc dogma, vnanimo doctorum Eccl. Nost. consensu, ad *Articulos fidei Fundamentales primi ordinis*, cum eius cognoscendi ratio ex sola diuinorum innotescat oraculorum reuelatione, naturalisque hominis longe superet captum. Defectum quidem iustitiae coram Deo valentis, perspicere rationis lumine possumus; sed modum eius acquirendae plane non suppeditat, et ideo nullius plane momenti sunt, quae de iustitia aliqua, nisi *ciuilem* intelligas, disputant optimi ex Gentilibus philosophiae doctores veteresque *scholastici*, horum vestigia quos secutos esse asserit *A POL. A. C.* Art. II. p. 61. Quare non nisi ex *Sacr. Scr.* addisci potest, cuius ex ytroque foedere testimonia extant plurima, suo loco quae nobis erunt alleganda. Nimis foret longum, totius huius dogmatis accuratorem hic tradere delineationem. Nos tantum circa *causas iustificationis* versamur, et cum hae duplicis sint generis, ex parte scilicet *Dei*, et *hominum* considerandae, in iis exponendis nostra collocari debet opera. Quod si ad *Deum* animi cogitationes conuertamus, palam erit, cum esse

omnis



omnis nostrae iustificationis *causam efficientem principalem*, id quod diserte patet Pl. XXXII, 1. 2. Rom. VIII, 33. 1 Cor. VI, 11. Ut autem de motibus quaedam dicamus, quibus Deus, qui nihil in homine peccatore inuenire potest quod ei placeat, ad eius commouetur iustificationem, nobis sese offert *causam mouens interna Gratia Dei*, qua incitatus ab aeterno nobis decreuit *mediatorem*, per cuius meritum atque satisfactionem, deperdita per lapsum bona habemus restituta. Luculenter apparet hoc ex Rom. III, 24. V, 18. 19. 2 Cor. V, 21. Imputatur itaque *aliena nobis iustitia*, aliena imputatur *obedientia*, Christi nimirum, quam pro nobis praestitit, cum *passiua tum actiua*. Haec ut nostra fiat in foro diuino, nostro opus est consensu, ut eam *Fide*, supra a nobis descripta, recipiamus. Sic enim haec tria *Gratia Dei*, *meritum Saluatoris O. M.*, et *fides*, concurrunt, ut *causae iustificationis hominum* Rom. III, 24. 25., diuersa tamen cuiuscunque habita ratione. Fides enim a parte nostra consideranda est ut *causae consequendae iustitiae coram Deo impulsiva externa*, minus tamen *principalis*. Quod quidem si firmiter tenemus, non potest locum habere quorundam opinio, qua eos male habet, quod fidem inter causas iustificationis ponere nobis placeat. Minime enim sequi potest, hoc obseruato, quod illis quidem *fidei* cui videtur, ac si statuendum nobis esset, in ipsa fide aliquid reperiri, cuius quidem intuitu Deus moueatur, ut hominem iustum declaret. Fidem cum inter causas locum sibi vindicare affirmamus, ipsi non mouentem per se tribuimus dignitatem propriam, sed saltem eo respectu huc referendam esse eam credimus, quod Christum recipit. Quo fieri etiam solet, ut nonnulli fidem vocare soleant *causam Instrumentalem* Rom. III, 24. *διὰ τῆς πίστεως* et 25. *δικαιωτὰ τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ*, quodque eo omnino sensu potest facile admitti, quo, fidem instrumentum esse s. *ὄργανον λειτουργικὸν iustitiae Christi*, et *gratiae iustificantis* intelligitur. Salua itaque veritate, et fauente nobis Script. Sac., hominem *sola fide*, *obiectiue* spectata, *iustificari* pronuntiamus, ita quidem, ut nec ipsa fides vel minimum quidquam dignitatis ex se habeat, siue ut *actus* consideretur, siue ut *habitus*, vel *virtus* hominis, *opusque bonum*, sed omnem vim habeat ex suo, quod recipit, *obiecto*, perfecta nimirum mediatoris iustitia. Sola ergo fide, propriam omnem hominum quorumcunque dignitatem, quo demum cunque veniat nomine, simpliciter excludendam esse, ex eo arbitramur, quod α) *διωρεῖται* iustificari dicimur Rom. III, 24. quam vocem *mercedi* atque *merito* opponit Scr. Genes. XXIX, 15. 1 Sam. XIX, 5.

XIX, 5. Matth. X, 8. Ioan. XV, 25. β) *Haec gratia tribuitur μη εργαζομενω et ασεβει.* Rom. IV, 4. 5. et v. 6. *χωρις εργαων.* γ) *Ορπονitur τη δια νομης δικαιοσυνη* Rom. VI, 14. 15. Gal. II, 21. V, 4., omnique operum merito, ita quidem, vt posito eo non sit gratia Rom. XI, 6. Eph. II, 8. 6. δ) *Explicatur gratia iustificans per ευδοκίαν τς θεληματος θες.* Eph. I, 5. per *ελεος, χρησότητα, Φιλανθρωπιαν* Eph. II, 3. Tit. III, 4-7 2. Tim. I, 9. 10. Quibus omnibus gratuita per solam fidem iustificatio satis superque probatur. Eandem vero semper, nec aliam in V. et N. T. iustificandi fuisse rationem, semperque a parte hominum tanquam causam iustificationis stetit fidem, aduersus *Socinianos Pontificios et Cocceianos*, pronuntiat Paulus expressis verbis Rom. IV, 2. 4. 11. 12. 16. 22-24. quem locum ad multorum allegatorum instar esse, hoc vno addito Act. XV, 11. puto, de quo inprimis legendae sunt Vindiciae h. dicti class. Summe Reuerendi PRAES. in *Program. an. 1750.* luci publicae exposito. Id quidem non est negandum, licet nulum inter *παρεσιω* et *αφεσιω αμαρτιων* ponamus, vt non nullis placer, discrimen, *fideles* tamen N. T. post absolutam, quam V. T. Dei amici sperabant, generis humani redemptionem, maiorem illis habere omnino animi *παρηρησιω* Hebr. IV, 15. 16. X. 19. eamque *gradu* praecellere prae ea, qua *Iustificati* V. T. ad Deum accedebant. Gal. III, 23.: quoad ipsam rem tamen non aliter ac nos, *sola fide*, apprehensa gratia mediatoris, iusti sunt declarati. vid. Gottf. OLEARIVS in Comm. ad Matth. Obs. XL-XLII. it. I. F. BVDDEVS de praerog. fidel. N. T. §. 27. 37. Quaecunque hic de Iustificatione per fidem diximus, nostra docet Ecclesia iis libris, qui *Symbolicorum* veniunt nomine, ex quorum documentis nonnulla laudasse satis erit. Ita vero A. C. Art. IV. p. 10. *Quod gratis*, inquit, *iustificentur propter Christum per fidem.* Apol. A. C. Art. II, 71-82. quo loco simul part. *Sola* additur egregia defensio, cum eam B. M. LV-THERVS ad Rom. III, 28. apposuerit, vid. BVDDEVS Institut. Theol. L. IV. c. IV. §. IX. p. 1020. ART. SMAL. P. III. Art. XIII. p. 336. *Epitome* Art. III. p. 583. In his acquiescimus L. L. Symb. testimoniis, cum ex iis, satis claram et perspicuam esse Eccles. Nost. sententiam, videre liceat.

## §. XI.

Cum vero nobis nunc de sententia *Pontificiorum* paucis agendum sit, operae erit pretium, de significatione, quam ipsi verbo *iustificare* tribuunt, quae-

quaedam in scenam producere. Vtuntur enim, vt opinionem suam eo facilius imperitorum animis insinuarent, in tota hac doctrina iisdem propemodum quo nos verbis, ita tamen fraudulenter, vt *alius plane iisdem subiectus sit sensus*, vt partim ipsa eorum Confutatio contra *A. Conf. Art. IV. V. VI.* docer, partim de iis solide demonstrauit *HOEPFNEEVS* Diss. XII. de Iustificatione. Est autem, vt iam supra exposuimus, sensus quem voci iustificari tribuunt, ita comparatus, vt a forensi notione alienus, *infusionem* iustitiae *physicam* denotet. Ex qua quidem erronea sententia ortum quoque est, quod fingunt discrimen, *primam* inter et *secundam* iustificationem. Per primam enim, *internam* intelligunt *mutationem*, qua ex *iniusto* fit homo *iustus*, per *secundam* vero, *inherentis iustitiae* incrementum per bonorum operum merita quod obtineatur, vt hoc omnino colligitur ex *Conc. Trid. Sess. V. Cap. VII. §. 2. 3. et Cap. X.* Nos quidem non admittimus tanum, sed ipsi docemus *internam* animi *mutationem*, non alio tamen sensu, quam vt *inchoata* in *Regeneratione*, ipsam praecedat, in *renouatione* sequatur Iustificationem, non autem sit ipsa iustificatio, cumeaque, vt *actione iudiciaria* confundatur. Eam quidem nonnunquam verbi iustificationis vim in scholis Theologorum esse non negamus, vt sensu quodam *latiore*, regenerationem, iustificationem proprie sic vocatam, et sanctificationem simul ea voce intelligant; attamen cum proprius eius sensus ex sacris literis sit hauriendus, inde nihil fundamenti potest inueniri ad Pontificiorum stabilendam, de Iustificatione sensu physico, sententiam. vid. ad haec *B. MART. CHEMNICIVM* in Exam. *Conc. Trid. P. I. de Iustif. p. 130. f.*

Cum praeterea *B. B. Nost. Muiore* in Art. IV. VI. A. C. nos iustificari per fidem, gratis, sine Bonis nostris Operibus, quae *fructus* fidei, non *causas* iustificationis statuunt, cum haec, inquam affirmant, male habet Pontificios. Quare in *Confut. A. C. Art. IV.* expresse affirmari posse sibi videntur: aduersari sacris scripturae literis, negare *meritonia esse opera*. Misere torquent permulta *N. F. et V. T.* effata, vt inde deperditae causae depromere possint fundamentum. Vera autem si dicenda sunt, magnus citatorum numerus oraculorum, aut ad iustificationem stricte sic dictam non pertinet directe, aut luculenter ostendunt aduersarii, sibi non admodum curae esse; quale sit inter *Iustificationem* et *Sanctificationem* discrimen. Non opus est vt oracula haec sacra defendamus, cum iam vindicata maximam

nam partem ea in *Apol. A. C. Art. II.* legamus, diuinamque hanc veritatem ab eorum liberatam iniuriis videamus. Concilium vero Tridentinum altius progreditur, maioremque in modum eius *Patres* contra nos augent anathemata, quod, per fidem hominem iustificari, statuimus, vid. *Sess. VI. Can. IX. si quis dixerit sola fide impiem iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, Anathema sit.* Conferatur PETRI CANISII Catechismus in der Erklärung des Römischen Glaubens-Bekennniß num. 2. p. 64. Qua quidem declaratione *P. P. Trid.* nos damnant, etsi perbene intelligant, manifeste pro re nostrae stare Epistol. ad Romanos, dicta supra iam laudata §. X., in primis quoque Gal. II, 16. quod legitur Sp. S. effatum. Ut autem *Bonorum Operum*, in quibus Iustificationis fundamentum esse putant, stabilium fulcrum, iisque meritum aliquod conciliare possint, *art. XX. suae Causae.*, nescio, qua contorta scripturas allegandi, id agant ratione. Tam aperta enim sunt Sacr. Scrip. effata, ut omnibus Papae affectis opus sit artificis, quibus fucum aliis facientes, se expediant. Quare fieri solet, ut, cum manifestam videant esse iustificationem per fidem; per opera legis, quae Paullus hic procul facessere iubet, opera legis ceremonialis intelligi velint. At non curant ita sentientes connexionem et scopum totius disputationis Paullinae in Epistola ad Romanos, vi legem *uniuersam*, ipsamque adeo *naturalem* pariter, ac *reuelatam* intelligit, et, quando eius opera a iustificatione remota esse pronuntiat, omnia in uniuersum intelligit, tam *antecedentia*, quam *subsequentia* et *concomitantia*. Sine ratione vrgent Diui Iacobi sententiam de *Iustificatione per Opera*. Destituta enim erit omni colore ac specie omnis eorum argumentatio, modo considerent: Diuum Iacobum de *adeptae iustificationis* declaratione coram hominibus agere, Paullum vero de ipsa coram Deo iustificandi ratione disputare, et, cum Dogmata Ecclesiae tradenda sunt, nos eandem quam Paullus tractat, innuere. vid. *Luc. et Andr. OSIANDRI, HEMMINGII, CRAMERI, BROCHMANNI Comment.* in hanc Epistolam, nec non *HENRICI HEISENII Notas Hypoth.* interpretand. felicis Ep. Iacob. Totius praeterea erroris, quem in hac doctrina fouet Romana Ecclesia, historiam, a primis inde incunabulis exposuit *I. F. BVDDEVS L. c. p. 10:1. seqq.* Quicunque demum, quae in medium proferunt Pontificii argumenta, ad oracula

oracula sacra supra laudata exigere voluerit, facile animaduertet, lubricis quae dicunt stare fundamentis, eosque in defendenda sua caussa tantum Sycophanticis vti artificijs, vt solide eleganterque docuit et post fata Magnus CHEMNICIVS l. c. pag. 145. seqq. edit. Francof. ad Moen.

## §. XII.

Quemadmodum vero hostes veritatis diuinae, quicquid habuerunt errorum, quicquid traditionum ingenio humano excogitarum, ad id omne temere congefferunt, vt saluberrimam hanc doctrinam, qua denuo filiationis ius in foro diuino nobis Gal. IV, 5. 6. addicitur, obscurarent, eiusque fundamenta labefactarent; ita Deus semper Ecclesiae prospexit viros, qui verbum Diuinum ducem vnice sequentes, his aduersariorum opinionibus fortiter se se opposuerunt, obscuratamque de Iustificatione doctrinam pristino suo splendori restituerunt. Quod quidem, et maiorum nostrorum tempore felicissimo cum successu factum esse, laetamur, quo inprimis huic fidei Capiti noua quasi lux affulsit, cum, discussis superstitionis Pontificiae tenebris, ex verbo diuino egregie illud illustratum, et Confessione Heroica publice propugnatum, nobisque Dei beneficio vna cum ceteris verae religionis thesauris conseruatum videmus. Gratias Deo O. M. pro insigni hoc beneuolentiae in nos documento agenda sunt submississimae, piisque summum Numen obsecrandum est precibus, vt, quam dedit nobis adhuc pacem religiosam, eam et in posterum nobis conseruare clementer velit. Puram incontaminatamque a pristinorum errorum maculis, de Iustificatione doctrinam seruet in Ecclesia, et contra tot hostium machinationes defendat, tandemque vera et genuina eius membra, iis exornet praemijs, quae fidelibus referuata esse in coelis sacrae testantur litterae.

ΤΩ. ΔΕ. ΒΑΣΙΛΕΙ

ΤΩΝ. ΑΙΩΝΩΝ. ΑΦΘΑΡΤΩ. ΑΟΡΑΤΩ.

ΜΟΝΩ. ΣΟΦΩ. ΘΕΩ. ΤΙΜΗ. ΚΑΙ.

Δ Ο Ξ Α.





AB: 194322


ULB Halle 3  
003 249 751




sb.

12









B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE  
IVSTIFICATIONE PER FIDEM

COMMENTATIO  
PHILOLOGICO - THEOLOGICA

AD AÆ. XIII, 38. 39.

Q V A M,

P R A E S I D E

IOANNE FRIDERICO  
BAHRDTIO

S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ASSESSORE  
AD AÆDEM D. PETRI CONCIONATORE

PRAEPTORE ET FAVTORE SVMMA OBSERVANTIA COLENDO

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

DIE XVI. AVG. A. R. G. C1815CCLV.

DEFENDET

A V C T O R

GOTTLOB MICHAEL FETTER

RAVSCH. LVS. SVP.  
SACRARVM LITTERARVM CVLTOR.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA